
FR. VICTORII CARCANI VENETI,

EPIGRAMMA.

Ad Reuerendißimum P. M. Taddæum Perusinum vniuersi Ord. Eremitarum D. Augustini Generalem vigilantissimum.



ADDAEE ætatis decus indelebile nostræ
O Perusinæ vrbis splendor, & Orbis honor.
Tollere iam magnum ipse tuum super æthera nomen
Percupio, & laudes concelebrare tuas.
Te duce sancta homines semper pietate vigebunt,
Te duce iam recta nunc licet ire via.
Te duce pax aderit iam nobis, te duce dulcis
Consistet probitas, corruet improbitas.
Viue diu Pastor, viuasq; beatius opto,
Si desint anni; sint tibi Nestorei.
Interea ne despice, dum grauiora parantur,
Nunc TADDAEE, meum quod tulit ingenium.



REVERENDISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO PATRI
Præsuli M. TADDAEO Perusino, uniuersi Ordinis Eremit. S. Augustini, Generali uigilantiss.

F. VICTORIVS CARCANVS VEN.
EIVSDEM ORDINIS S. D.



VI laborem, & industriam nemini, languorem, & ignauiam omnibus turpem esse dixit, næ ille (Reuerendiss. P.) & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi videri solet: quid enim illis turpius, aut abiectius, qui otio, atque ignauiæ adsidentes, ita vitæ curriculum conficiunt, vt, veluti naues, nullum sui vestigium relinquant? & quis est, vel tam imbecillo ingenio, vel tam inops à iudicio, qui inertissimos homines eo ipso mentis munere, quo vno cæteris præstamus animantibus, dignos existimet? Equidem, cum illud in ore semper habuerim:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα:

quo me primum die ad religionem contuli, nomenq; dedi in hanc laudatissimam D. P. N. Augustini sodalitatem, eodem die id mihi propositũ fuit, id solũ spectaui, eo direxi cogitationes meas, atque curas, vt otiosam, atque ignauam vitam, tanquam pestẽ teterrimam refugerem, ac semper exercerem ingenium, quod, tã-

quam

quam ager, si colitur, fructus reddit uberrimos, si negligitur exarescit. Iccirco quantum datur mihi excepti, ac subseciui temporis ab indagandis, & perscrutandis earum rerum caussis, quibus inuentis statim nobis aditus aperitur ad cælestium bonorum cognitionem, eo ipse, quasi in amœnissimum hortum diuertens, vel in ijs studijs, quæ sibi nomen ab humanitate asciuerunt, vel in ea philosophiæ parte, quæ Poesis appellatur, me exercere soleo: vt, præter id temporis, quo defatigatus laboribus, ac fractus, quietẽ quærere soleo necessariam, hora nulla sit, quam non traducere coner in exercendis instrumentis ijs, quibus nil homini diuinius ab omnium parente Deo tributum est. verum quoniam non sum nescius, qui se studijs ita abdidissent, ut fructus ex eis haustos condi, ac domesticos intra parietes asseruari siuissent, eos nunquam magnopere commendatos, sæpe etiam ab excellentibus in philosophia viris reprehensos fuisse, propterea statui quantumcunque facultatis ad bene merendum, aut in omni, aut in maiori parte meæ vitæ mihi labores mei peperint, esse totum cum omnibus communicandum. Cum igitur pauca ex multis Præpotentis Dei gloriosa, atque diuina facta exprimere tentassem, placuit eadem, non eo, quo quilibet vtitur sermone, sed carminibus exponere: quæ cum typis edenda curaturus essem, tribus de caussis mihi faciendum putaui, vt cum tui nominis inscriptione publicarem: primũ quoniam ego, quæ à tua humanitate officia proficiscuntur, quo animo, quã libenti quam grato excipiam, aliquo item officio, tũ ipsi tibi, tum cæteris omnibus indicatum, maximeq; perspicuum esse cupio: deinde facile futurum putaui, vt, si laboribus meis tuæ benignitatis aura, quasi propitium numen adesset, neque in difficultate, neque in scopulo mea hæreret industria: postremo quæ de

Deo loquũtur ad quem potius mitti æquum fuit, quam ad eum, qui cum illud vitæ genus complexus est, quod est totum in laudabili ratione, totũ in præclaris cogitationibus, & factis constitutũ; tum vero auersus penitus est à studijs rerum humanarum, eaq; contemnit, quæ cæteris admirabilia videntur, totus in vna virtute defixus, & diuinam consuetudinem, quantum humana conditio ferat, imitatur? Vere enim hoc dicam, Amplissime Pater, cum tua semper fuerit bene agendi perpetuitas, cum nihil in vita tua varium, nihil flexibile, nihil vulgare, nihil angustum, nihil, quod non cum ea, quam sustines, persona, idest, cum religione vere Christiana consentiat, homines cognouerint, cũ denique oculos tuos non ad hæc humana, quæ sunt locorum, & temporum angustis sanè terminis circunscripta, demiseris, sed ad illa diuina suspicientes, beatam, immortalemq; vitam, & expetieris unam, & unam expetendam esse persuasum habueris: quæ tuæ vitæ instituta qui ignorant, mirantur scilicet, vnde animi excelsi, atque inuicti robur illud, quod ne illa quidem ipsa, quam casus, & temeritas regit, fortuna ullo pacto poterit infringere: cuius impendentem vim ne pertimesceres, earum artium præsidio te muniuisti, quibus exculta mens lætos, & vberes in omni fortuna, ferre fructus solet: hinc efficere conatus es, vt animi bonis, ingenijq; opibus abundares. Quis enim, si uerè & esse, & appellari diues potest, qui liberalium doctrinarum scientiam possidet, quod nemo eleganti iudicio, sanaq; præditus mente negabit, vel refellet, quis, inquam, Ampliss. P. te ditior est? qui cũ in celeberrimus Italiæ Gymnasijs excuteres, atque euolueres funditus illa tua scrinia, in quibus conditi rerum antiquarum thesauri asseruantur, tam clare sese ostendit lumen animi, ingenij, consi-

lijq;

lijq́ tui, ut iure optimo omnes te dignas artes, non ab alijs accipere, sed ex te ipse parere, & proferrere uisus fueris. Omitto illa, quæ quampaucis contingat omnia, ignorat nemo, excellentem in excipiendis litteratis hominibus humanitatem, summam in subleuandis benignitatem, singularem in audiendo facilitatem, suauem in respondendo lenitatem; egregiam in consuetudine familiarium comitatem, incredibilem in congreßu, & sermone clarorum, tuiq́ similium virorum grauitatem, miram in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fidem: ut minime mirandum uideatur, si nominis tui fama, non ipsam tantum Romam, idest omnium Gentium celeberrimum Theatrum, sed etiam Europā, quanta quāta est, ac pene terrarum orbem peruolitat uniuersum, si & Oratorum, & Poetarum de te prædicantium uocibus aures tuæ personant, si denique imaginem tuarum virtutum æternis excellentium virorum scriptis expressam, omnes intuentes cupiunt imitari: multa prætereo, nec sanè de tuis laudibus uolo multus esse, ne uidear hoc suscepisse, ut eas celebrem: quarum magnitudini non ab adolescente par adferri posset orationis genus, sed ne omnes, qui ubique sunt, eloquētissimi homines si communi studio ad eas celebrandas quidquid habent in dicendo uirium conferrent, aliquid earum amplitudine dignum dicerent. Sed ut, unde digressus redeam, carmina hæc, quando ratio ipsa postulat, uel, ut ἐμφατικώτερον dicam, iure quodam suo exigit, tibi inscripta, atque dicata emitto: sic enim fiet, ut meæ obscuræ lucubrationi, clarisſimum lumen, TADDAEI NOMEN, apponatur. Illud uerò abs te peto, ut (quandoquidem ego me tibi quantus quantus esse poßum totū addico) φιλοφρόνως, & φιλοστόργως me complectaris, planeq́ in clientelam tuam, atque adeò in sinū,

æque, ac obſequentiſſimum filium ſuſcipias, ſuſceptum tuearis, ac foueas, ita tamen, ſi me tuo præſidio, ac ſtudio dignum, ideſt, meum ingenium in præſtantiſſimarum artium ſtudijs exercentem, & audies, & re ipſa cognoſces. Quod ego ſi aſſequor, næ illud prolixè, perliberaliq́ animo & polliceor, & non dubitanter adfirmo, ſi quid aut iam eſt in me facultatis, aut erit aliquando ijs, quæ feſſos curis animos leuant, hominesq́ paullatim ab homine ſeparant, ſtudijs partum, & uigilijs, quandiu uita fruar, uelle me id totum quidquid erit, & quantumcunque erit (ipſo, qui optimarum, & maximarum auctor, perfectorq́ rerum eſt, Deo opem ferente) tuæ laudi ſeruire. Vale. Venetijs. Ex D. Stephani. Kalend. Dec. 1578.

12

F. VICTORII CARCANI VENETI
ORDINIS EREMITARVM D. AVGVSTINI

TRIVMPHVS DIVINI AMORIS

Ab eo memoriter pronunciatus die festo Pentecostes, in celeberrimo, ac florentissimo Gymnasio Diui Stephani.
M. D. LXXVIII.



ANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis:
Adsitis, molli & paulum considite in herba;
Ac mecum quæso lepidos contexite versus,
Versus, obscuret quos non longæua vetustas:
Tempora frondenti mihi læte cingite lauro,
Lauro, qua sacros Vates ornare soletis:
Huc properate, & dulcisonos voce edite cantus,
Cantus, qui insolita Diuos dulcedine tangant:
Scilicet aduenit tandem mortalibus ægris

Illa dies rubicunda, nitens, gemmata corusca,
Expectata diu, totumq; optanda per orbem,
Illa dies nobis, albo signanda lapillo
Spiritus è cælo qua sanctus mittitur alto.
Vos quoque cælicolæ magni adspirate canenti,
Cum videatis non tantum mihi roboris esse,
Egregias CHRISTI vt laudes extollere possim,
Cæleste auxilium mihi claro mittite olympo.
Tuq; ò summe Pater, quem sydera cuncta tremiscunt,
Huius principium, & finis tu carminis esto;
Dexter ades quæso (si non indebita posco)
Accipe lætitiam Mundi Pæana canentis,
Excipe tu nostros grato cum munere cantus;
Et quoscunque tuo feci iam nomine versus:
Apta tuo huic operi, quæso mihi suggere verba;
Sit mihi mellitæ suauissima gratia linguæ,
Exprimere vt possim præclaro carmine tanta
Gaudia, quæ longum sunt duratura per æuum;
Quod si deficiant vires, Dominator olympi,
Ne mea, fac saltem, sit contemnenda voluntas:
Threiciam mihi nam citharam si Musa dedisset,
Nunc celebres tibi cantaret mea fistula laudes;
At quodcunque tamen citharæ pulsator Apollo
Concedit mihi, quidquid idest, tibi seruiet omne.
Vos Patres audite meas, quas pandere voces,
Nunc iubet omnipotens; imoq; recondite corde:

Nam

Nam meditor magnam breuibus rem pandere dictis.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Ille Opifex Mundi (quò prima exordia rerum
Altius euoluam) cunctisq; antiquior Annus;
Primus, qui Matri commisit semina Terræ,
Aequora qui mulcet, cæli qui temperat Astra.
Cui neque principium est vsquam, nec finis in ipso,
Cui Terræ, tractusq; Maris, cœlumq; profundum
Parent, ex nihilo ante nihil qui cuncta creauit,
Atque eadem semper Diuina mente gubernat;
Ille super Terras Paradisi dulcis in hortis
Per loca primæuum spatiosa locauit Adamum;
Ac iubet illi ne pomum decerpat: at ille
(Nam nos inuetitum uehimur, cupimusq; negata)
Iam videt hoc, visumq; cupit, potiturq; cupito:
Protinus & cæca, magnaq; cupidine ductus,
Iussa recusans, tunc voluit transcendere fines,
Sanctaq; despiciens cari mandata Parentis,
Ipse sacrosanctæ lacerauit vincula legis.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Hinc Deus omnipotens iusta correptus ab ira,
Qui tumefactos semper vertit, & vrget ad ima,
Et mites, humilesq; animo qui tollit ad auras,
Præcipitem ipse Herebum illum deturbauit in imum,

Et tristes sine luce Domos habitare coegit,
Hinc nocuam nobis genuit mortalibus escam,
Hinc sese miser ipse, suos ac perdidit omnes,
Abyciens crudæ sub tristia vincula mortis:
Omnia at ipse potest quamuis: sed fallere nunquam
Qui sua præcipuo venerantur numina cultu;
Propterea ipse suam iram tunc demisit; Vt ille
Protinus in superas posset conscendere sedes;
Atque breui fore præsidio se tempore dixit;
Atque daturum se requiem, certamq; salutem,
Neve putetis me fari mendacia: namque
Permulti Iusti, ac Sancti cecinere Prophetæ
Veridici, & Vates præsaga mente canebant,
Verbum, quo Omnipotens magnum construxerat Orbem,
Vera caro vt fieret, venturum, prorsus Adamum
Solueret vt prisco damnatum crimine Patrem;
Atque viam omnibus ad cœlestem sterneret Aulam,
Omnes & vires serpentis frangeret Afri:
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Impia gens vero, nostriq; ignara parentis,
Semper ad immanes mores tunc ipsa recurrens,
Inclita cœlipotentis cœpit spernere templa,
Templa, solebant rite quibus iam imponere dona,
Ac Sanctam violare fidem, nitidumq; lauacrum.
Quo circa Deus, ætherei regnator olympi.
Ipse viros misit multos pietate nitentes,

Rite

Rite fidem qui synceram, rectumq; colebant,
Ut regerent stultum populum, gentemq; nefandam,
Atque viam rectam monstrassent tramite paruo,
Quæ tunc posset ad hunc, recto contendere cursu,
Exponerentq; bonum summum quo tendimus omnes.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Sed nil istis, nil monitus, præceptaq; prosunt:
Namque illos, tamquam genus execrabile, sæuis
Supplicijs torquentes, tormentisq; sequuntur.
Esset Adamus, sed cælo cum pulsus ab alto;
Infælix lugebat homo, nec iam ulla regressus
Spes erat, aut iterum visendi limina cæli
Amissi, ni vera Dei, & certissima Proles
Aethereo delapsa Polo, moribunda subisset
Membra hominum, mortiq; ultro occubuisset acerbæ;
Humanamq; sua pensaret morte salutem,
Claustraq; tristis ferrea confregisset Auerni:
Ergo patrum se cum latebroso à carcere turba
Maxima protinus ereptam vinclisq; solutam
Ipsa vidisset: tunc oculos ad sydera blandos
Extulit: & cælo palmas cum voce tetendit,
Atque Deum implorans mæsto sic pectore cæpit:
Magnè hominum, Diuumq; parens, ò maxime Mundi
Arbiter, humanum tu qui genus omne gubernas,
Innuba quem Sanctis Virgo complectitur vlnis,
Surge, age, rumpe moram longam spoliator Auerni,

Quem tibi certum est mittere iam nunc mittito quæso:
Fundere nec patere hæc nos tu verba irrita ventus;
Vmbrarumq́ domos, obscuraq́ regna subire:
Numine sed cunctos potius nos accipe fausto:
Namq́ sumus sine te, veluti spoliata Magistro
Instabilis volitans ventosa per æquora cymba.
Ergo Pater precor, heu nostris nunc annue votis,
Vt tandem intacti picea Phlegetontis ab vnda,
Post obitum æternæ mereamur præmia vitæ.
Hæc vbi dicta dedit, finem dedit ore loquendi.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
Quamuis Regnator foret irritatus Olympi;
Primitus edictum quòd iam uiolasset Adamus,
Cum absque metu uetitum decerpsit ab Arbore pomum,
Pomum, Tartarei quod fert Acherontis ad undas;
Tunc tamen (est etenim diuum placabile Numen)
Ne genus humanum subter penetraret Auernum,
Cæli sed potius claram reuocaret ad aulam,
Et nos eriperet diri de faucibus Orci;
Mitteret & Satanam tenebrosa in Tartara; natum
Tunc nobis ipsum Cælo demisit ab alto:
Quem voluit nostro humano de sanguine nasci:
Syderea hic puram per noctem in luce refulgens,
Mortalis dignatur læte corporis huius
Dissimiles perferre modos, hominemq́ subire;
Passus corporea est mundum uestire figura,

Affariq́

Affariq́ palam populos, hominemq́ fateri,
Tollit mortales pretioso sanguine culpas;
Eripit & nostræ uitæ crudele uenenum:
Nudatur nunc, ut nudus uelamina donet,
Vt nos iam ditet, pauper prodire uidetur.
Hic docet immundas omnes extinguere sordes,
Semper quæ medio nos fixæ in pectore torquent.
Hic docet, & præmonstrat iter, callemq́ recludit,
Qui latè nos posſit ad altum ducere Olympum:
Hic docet Inferni cognoſcere tristia mundi,
Dulcia & ætherei cognoſcere gaudia cæli:
Hic docet & nitido uenerari numina cultu,
Atque (tenentes nos animum, mentemq́ pudicam)
Omnipotentis ſectari ueſtigia CHRISTI.
Denique dum nostro hic iam uitam duxit in orbe,
Atque tenebroſo tenebatur carcere clauſus,
Horam uix unam potuit requieſcere: namque
Tormentis (uiſu horrendum) grauioribus illum
Ipſa ſequuta eſt iam præceps gens, atque nefanda.
TANGITE Caſtalides, vocales tangite chordas,
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
Cum ſuprema ſuæ profulſerit hora propinquæ
Mortis, ſydereum rutilantes ipſe repente
Ad cælum extollens oculos, mox talia fudit:
O Pater omnipotens, Diuum tu maxime Rector;
Quem Reges tenebrarum iam metuere ſuperbi,
Ecce meam tibi reddo animam, tu ſuſcipe quæſo

Nunc illam egredientem, tu complectere Patris
Amplexu; his orat dictis; nec plura loquutus:
Occubuit, corpusq́ dedit mortale sepulchro.
Tunc subito in plures finduntur marmora partes,
Protinus & summus tremuerunt motibus auræ;
Terraq́ concussis statim ruit ipsa latebris.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
Interea ipse repente (Patres id credite) nigra
Prorsus ad Inferni descendit claustra profundi:
Quem venientem plausibus excepere frequentes
Sancti, qui stabant obscura in nocte sepulti,
Quorumque hic meriti semper celebrantur honores:
Sed quali exceptum plausu nos credimus, & quas
Lætitias (Patres) & gaudia quanta fuisse?
Nullius ipsa quidem nunc possent voce referri:
Nam grates CHRISTO reddebant rite Tonanti;
Blandaq́ mellifluo modulantes carmina cantu,
Omnes attonita laudes sibi mente canebant.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Pauca q́ de multis iam facta referte Tonantis.
Venerit at post cum lux eius tertia mortem;
Statim vitales iterum est reuocatus ad auras:
Nam, illos aspiciens placido tunc lumine cunctos,
(Ac simul ab nigris discedens ipse Tenebris,
Lucida pendentis penetrauit sydera cæli)
Eripuit, regniq́ in partem, operumq́ recepit.

Tunc

Tunc tremuit nemus, & sylua tremuere profundæ,
Totaq; quaßa fuit magno cum murmure Tellus:
Gaudia quæ fuerint (Patres) quæ iubila cælo,
Nunquam voce mea possent ea cuncta referri.
TANGITE *Castalides vocales, tangite chordas*
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Nec mea vana refert, Patres, mendacia lingua,
Credite, vera cano, nil quicquam carmine fingo.
Nam splendente die, tenebrisq; à sole fugatis,
Cum ruber astrigero procedens Vesper Olympo,
Albenti viridas radiaret lumine terras,
Redderet, & letè iam lumina viuida rebus,
Tunc statim Cleophæ, Magdalenæq; Maria
Sacrum CHRISTI *percupientes vngere corpus*
Frigidulos udo singultus ore cientes,
Eius mæstum pura mente adiere sepulchrum.
TANGITE *Castalides vocales, tangite chordas,*
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Hinc (veluti ad Terram decurrens ignea lampas)
Nuncius ipse repente est cælo missus ab alto:
Candida erat, Patres, tunica (nil fallor) amictus;
Illis seq; dedit matronis ipse videndum.
Quem simul ipsæ conspexissent protinus atra
Iam formidine concussæ, suspiria, & altos
AEgris cum lachrimis gemitus tunc sponte trahebant:
Prorsus & attonitæ trepidum sensere timorem.

Nuncius interea illas miti fatur amore;
Tristia lugentum, atque accendit pectora matrum,
Has liquidas imo fundens è pectore voces.
Atrum comprimite horrorem, trepidumq́ timorem.
Amplius haud hic nunc est, quem (mihi credite Matres)
Vos petitis; CHRISTVS tenebrosis ipse profundi
In vitam rediijt clemens Acherontis ab vmbris:
Propterea læte procul hinc discedite: namque
Liber ob Inferni est tenebris horrentibus Orci:
Ite igitur: vos nam in Galileæ regna praibit.
Ite; & discipulis eadem hæc date nuncia dulcis
Lætitiæ, Orbis qua totus gestire videtur.
Hæc hylaris postquam blando Angelus edidit ore,
Tunc mulieres humectentes grandibus ora
Planctis, cæperunt Orbis penetrare latebras.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
At postquam ipse parens Diuum, Rectorq́ supremus,
Inferni domitorq́ Herebi, mundiq́ Redemptor
Vera Dei æterni proles, æqueuaq́ Patris;
Iugiter astrigeros aditus mortalibus ægris
Pandere cui datur, atq́ iterum præcludere eosdem,
AEtere delapsus latuit Genitricis in aluo
Ipse Mariæ, & tunc vagitibus impulit auras
Vitales, dehinc Vir iam nudus in arbore; Pandens
(Perpetuus voluit Pater hac ratione vocari.)

Cuſpide uulnifica fixas palmasq́, pedeſq́
Latrones inter ſæuos pro ſontibus inſons
Mortem obijt (ſcelus infandum) iam prorſus acerbam,
Addictos truculentæ ut nos iam morti, & iniquo
(Namq́ erat humanum genus olim è ſede beata
Deiectum, & nemoris fœlici limine pulſum)
Subiectos Sathanæ redimat proprij ære cruoris;
Ac tandem erepti ex uinclis, & carcere cæco,
Poſſemus clari conſcendere culmina Cæli:
Diſcipulorum conueniens tunc ipſa caterua
Paupere ſub tecto, ſublimi in monte recumbit:
Hinc precibus CHRISTVM oraret dum rite tonãtem
(Tertiam & orbita iam curſus produxerat horam)
E cælo deſcendit ſpiritus ecce repente,
Ipſe ſono horrendoq́ Domum implens, protinus omnes
Diſcipuli attoniti uario ſermone uolutant
Inter ſe, quibus auſpicijs, quoue ordine uitam
Inſtituant, ſimul ambigua, & diuerſa loquentes.
TANGITE *Caſtalides, uocales tangite chordas,*
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
Interea omnipotens (ſtultæ ut tota agmina gentis
Præceptis, legumq́ ſacro munimine firment,
Et CHRISTI cultum ſimul & pia numina monſtrent)
Tunc ultro Dominus dictis ſic fatur amicis:
Ite, nouos ritus, leges uitæq́ ſalubres,
Nunc oſtendite uos, templiſq́ reponite honores.

 Ite,

Ite, atque omnes ad meliora reducite cunctos
Iam Populos, condentes uos fælicia sæcla,
Edite iam Populis vera præcepta salutis:
Ite, & callis iter desueti pandite rectum,
Lucida qui clari vos Cæli tollat ad astra:
Fingite dura hominum vestris vos pectora dictis,
Currite iter certum, totasq; intendite vires;
Cælestiq; hærete Duci, nunc ite frequentes;
Atque ostendite iam Genti vestigia sacra.
TANGITE *Castalides, vocales tangite chordas,*
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Hinc vbi leges immensi dominator Olympi
Deferre ad Populos iußit, monitusq; salubres;
Integra discipuli amplectentes iussa Tonantis,
Vnum iam ante oculos, vnum iam corde tenentes.
Rite Deum, constantes in pietate manentes,
(Hos etenim ille Sator rerum, & mens certa Parentis,
Fulgida qui solo moderatur sydera nutu,
Infundens illis uera pietatis amorem,
Clari è suprema Cæli spectauerat arce)
Spernere cæperunt peritura gaudia vitæ
Gaudia læte & vitæ summa perennis amare:
Discussa & rerum caligine, protinus omnes
Hæc monita, has leges, hæc iussa, hos denique mores
Cæperunt hilares complecti pectore toto.
Ocyus atque omnes alienas ire per oras.
Aeterei mox mente parant mandataq; Regis
(Prorsus

(Prorsus erant pietate graui, linguaq; potentes)
Iam cunctis populis late deferre per orbem.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Tum verò Castella inuisunt ardua læti,
Formantes sobolem cælestis dogmate Verbi,
Dogmate, quod semper syncero est corde tenendum:
Insuper ignotos montes, tractusq; peragrant,
Diuino eloquio PATRIS mandata canentes.
Hinc lustrant humiles pagos, atque alta frequentant
Mœnia, (corda hominum monitis cælestibus ipsi
Implentes) sparsos populos læto ore salutant:
Horrificis demum ostendunt quam sæua sub umbris
Supplicia expectent sontum miserabile vulgus,
Et quam dulcia longæ expectent gaudia vitæ,
Affulsit quibus è cælo spectabile lumen;
Quique Poli cupiunt sedes intrare quietas.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Ibant sydereum Regem, Diuosq; canentes;
Atque docentes tunc virtutis iter simul omnes,
Talia mellifluo fundentes verba liquore.
O populi ne spernite nos mandata ferentes
CHRISTI, illæsa animo quæso seruate sub imo
Consilia, & nostris parete hortatibus omnes:
Proh, vestrum scelerata vrgent quot crimina pectus?
Cernitis, heu, Vos pestifera quam labe notatos?

Vestra

Vestra tumescunt nunc epulis dum viscera lautis,
Illis mens oppressa, nihil tunc cogitat altum:
Et freno vt pugnator equus parere recusat,
Spiritui ipsa caro infert sic terribile bellum:
Ipsa cibo sed subtracto constringitur: atque
Morigeram se spiritui præbere videtur;
Sublatamq; acri repetit certamine palmam:
Qui tunc, expurgatus ab omni sorde, repente
Lucida se Cæli tollit stellantis ad astra:
Seruator legis, legis dator, altus Olympi
Rite dies iam corporea Rex CHRISTVS ab esca
Bis binos decies tunc abstinuit: modo iam vos
Ipsum sponte sequi fas & seruare necesse est.
Omnibus obnuite, heu, rebus seruite caducis:
Temnite opes, aurumq; nocens, contemnite honores;
Namque latet sæuus uiridi sub gramine serpens,
Atque lupum ipsa tegit rabiosum pellis ouina:
Syluæ non tot habent frondes, tot littus arenas
AEtnæi ignis, credite, non tot summa fauillæ
Ardentes volitant Cæli per nubila; honores
Quot fucis hominum titillant pectora vani:
Non tot acerbi sunt dumeta per aspera vepres:
Diuitiæ exta prement hominum quot uepribus amplæ.
Vestra igitur celeratis quo uestigia quæso?
Dicite, quo vos iam cæcos furor impius urget?
Impatiens quo præcipites deuoluit Erynnis?
Rite omnes veniam factis exposcite vestris,

Rite animos purgate; & mentem uertite Cælo,
Cælo, vbi grata manet requies, spesq; ultima nostra.
Rex etenim ille hominum, magni Patris vna propago,
Floribus exornat qui versicoloribus ægros,
Educat & cunctas animalia cuncta per oras,
Ille quidem latè vos cæli extollet ad altas
Aetherei sedes, & tuta sistet in arce:
Quis vestrum, quis erit deiectus corpore tantum,
Vt nolit tutam uitæ sperare salutem?
Dicite vos quæso, iam dicite nonne paratus
Est Deus immensi portas recludere Cæli?
Non equidem sic complectuntur amore parentes,
Filium, vt ipse suos asseclas mulcet amore.
Dulcis eis etenim memorabile pignus amoris
Linquere percupiens hylari agno pauit, & illis
Lauit sponte pedes, lætusq; hylarisq; repente
Ipse capit panem (sustollens lumine cælo)
Hunc benedicens, & confringens frusta per æqua,
Talia mellifluo fundebat uerba liquore.
Viua caro iste mei sit vobis corporis huius:
Hunc edite, & vestri memores estote Magistri:
Inde libens sumit calicem benedicit, & ipsum
Asseclis dans, sic declamans ore profatur:
Hunc libate omnes socij, hunc vos tollite: pane
Isto etenim est melius nil vino dulcius isto:
Hoc hilarat cor, nutrit & hic iam debile corpus.
O quam fortis amor, per quam dilectio dulcis

Esca

Esca hominum en cæleste est factum manna caducum.
Hæc esca, hic potus semper mortalia corda
Perlucidi ad nitidas perducunt ætheris arces:
Hæc esca, hic potus reserabunt ostia cæli
Nobis; ni prauo maculemus crimine uitam:
Hanc escam, hunc potum indignè qui sumpserit ille
Ah miser, æterno circundatus igne, sub imo
Terræ, pallentes Herebi ducetur ad vmbras.
Hanc escam, hunc potum castè qui sumpserit ille,
Ille sinu patris blando super æthera fulget.
Eia agite ò socij promissis fidite PATRIS;
Dicite, non ne piè iam fudit talia uerba.
Ingemet in quacunque hora peccator iniqua
Crimina, tunc illi iam prorsus cuncta remittam?
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Credite, nec illos umquam spreuere, sed omnes
Lætitia exciti, plausuq;, & uoce sonora
Occurrunt illis venientibus, atque repente
Illos excipiunt Turbæ, sanctosq; uerentur
Discipulos, fantes cælestia dicta Magistri.
Hinc extollentes geminas ad sydera palmas,
Nunquam desistebant PATRI reddere grates.
AEtherei tandem Regis memorabile (Magno
Orbe pererrato) nomen fulgebat amatum,
Perq; Vrbes, perq; arua euolans, perq; atria Regum,
Ac lætè sibi tunc resonabat gloria passim.

Hinc

Hinc ipsa (audißet Regis memorabile nomen
Cum AEtherei, nec non pridem facta inclyta noßet)
Ipsa quidem gens visa fuit, tunc protinus æque
Imperijs assueta pijs, & legibus ipsis.
Tunc redijt (pulsa istaq́ superstitio vndiq́ uana)
Candida relligio multos neglecta per annos.
Insuper omnes procumbentes poplite curuo,
Atq́ extollentes oculos, pariterq́ supinas
Ad Cœlum palmas rutilum, auxiliumq́ petebant
Verginis & nomen formosæ sæpe vocabant.
Vt veniam culpæ sibi iam concedere vellet:
Reddere & has molli cæperunt pectore voces,
O Patris veneranda Parens, ò Filia nati,
Omnes cælicolæ cui dulcia carmina condunt;
Auricomus quam sol vestit, stellæq́ coronant;
Quam Mare, quam Tellus, Cœli quam regia laudant;
Quam colimus, meritòq́ sacra veneramur ad Aras,
Nomen cuius sacratum, àc venerabile numen
Et Terræ, & Maria alta tremunt, & Ianitor Orci.
O Rosa purpureum, quæ spargis pulchra colorem,
Ac Myrrhæ semper gratum quæ fundis odorem;
O Lucis fons, ò fulgor splendentis Olympi,
Quæ veluti speculum nitido splendore coruscas:
O palma, innumeros curuas quæ florida ramos,
Sub quibus a nobis semper deuincitur ille,
Ille animæ nostræ Sathanas sæuißimus hostis,
O Genetrix omnis curæ, casusq́ leuamen,

Vnigena ò miseris semper spes vnica rebus:
Tu Dea, tu præsens adsis, tu Diua Dearum,
Adspice nos Mater quæso, nos adspice Virgo
Cunctiparæ toto proiectos corpore Terræ,
Frigidulos vdo singultus ore cientes,
Et lachrymis nos humectentes ora, genasq;
Atque luentes iam miserandæ crimina vitæ,
Crimina quæ medio nos fixæ in pectore torquent.
Funde tuos in nos radios mitissima funde
Nam nisi sydereos in nos conuertis ocellos,
Durasq; à nobis pœnas auertis, & iras
Iudicis æterni, nigras ducemur ad umbras.
At quoniam es dicenda parens, tutela Reorum,
Nec non te summis precibus gaudere loquuntur;
Te nobis facilem præbe, & succurre precanti:
Nos vt Diua tuo protecti numine sancto,
Angelicam in terris possimus ducere vitam,
Atque, suprema vt cum iam nobis venerit hora,
Horrida, qua nostros madidos mors claudet ocellos,
Tunc liceat tandem Cœli requiescere sede
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Sed quid cuncta ego versu nunc includere tento?
Quid? ne ego nunc potero percurrere talia uersu?
Non: neque musarum si numine pectus haberem
Plenum, sufficiam, non si mihi ferrea centum
Ora sonent, centumq; ærato è gutture linguæ.
Iure tibi grates igitur nunc ò Pater, ò Rex

Debemus nos, ac celebres dicamus honores:
Sed quis, CHRISTE, tuas laudes (esset sibi quamuis
Spiritus altiloqui prorsus iam infusus Homeri)
Quæ tibi debentur, speret se æquare canendo?
Omnia vel quis facta pijs tua laudibus æquet?
Dic, quæ nam poterit meritis par gratia reddi,
Omnibus effusè quæ nobis ipse tulisti?
Quanam voce tibi pangam præconia? quonam
Laudes, CHRISTE, tuas potero concludere uersu?
Ingentem quis lætitiam, quis talia fando
Enumeret dictis, vt non maiora supersint?
Deficeret solers rerum speculator Homerus,
Deficeret quoque, Patres, carminis auctor Apollo,
Gaudia si versu vellet comprehendere tanta;
Nunc quibus exultare videtur maximus Orbis.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq; de multis iam facta referte Tonantis.
Iam nil Tristitiæ, nil sit mæroris: at omnes,
Omnes iam lætè tollamus ad æthera voces,
Omnes, dum licet inter nos lætemur ouantes:
Dulcia fulgenti iungamus gaudia Cælo,
Nectarea implentes cantus dulcedine dios:
Tempus adest etenim mæstos iam linquere fletus.
Expectata diu lux iam suspiria tollit:
O rubicunda dies cunctis celebranda diebus,
O nos felices, lux nobis candida, & alma:
O nos felices, iterumque, iterumq; beatos:

Nunc oneremus iam sacris altaria donis;
Dicamus CHRISTO meritos dicamus honores,
Alti cùm Cæli nobis patefecerit oras.
Angelicus nunc ipse chorus iam concinet hymnos,
Ipse dies, noctesq́ suos decantet amores,
Ipsaq́ sydera sint nullis obscura tenebris:
Fulgidus & pulsa sol tempestate serenet,
Turbida sydereo depellens nubila Cælo,
Alma sono Zephiri iam murmuret aura sereni.
Iam volucres promant idulcis modulamina linguæ.
Humida iam celebres læte dent littora plausus:
Herbida vernanti lætetur terra colore:
Incipiant pueri beneolentes spargere flores,
Ac læte violas intertexent Amaranthis,
Lucifer & nitido perfundat lumine pontum;
Ignibus accensis resonent atque omnia cantu.
Omnes blandisono tandem, qui carmine pollent
Lætifica ad viridas iactent nunc carmina syluas.
TANGITE Castalides, vocales tangite chordas,
Paucaq́ de multis iam facta referte Tonantis.
Surgite io Iuuenes, vos quæso surgite, latam
Sternite humum folijs, manibus date lilia plenis.
Surgite, fumida iam superumq́ altaria Diuum
Muneribus cumulate sacris, pro munere tanto,
Candidulas miscete rosas, tenerosq́ hyacintos.
Laudibus ò Patres lucem hanc celebrate benigni,
Protinus, & pulchro Regem conspergite nymbo,
Nunc

Nunc omnes lustrate pio de more parentum,
Et pompis, precibusq; sacris solemniter Urbem:
Ex oculis planctum, lacrimasq; educite amaras:
Digna etenim est lux lætitia, plausuq; canoro.
Quæ à uobis etiam ut meritò celebretur honore,
Poplite succiduo pura iam mente rogate
Rite Deum, ueniam ut lætanti pectore donet.
Surgite, iam somnum tota de mente fugate,
Iam postes animi gemitu, lachrymisq; piate,
Ac scelere abluti, & culparum labe maligna,
AEthereo mentem Cælo conuertite: namque
Quis uestrum ignorat, Patres uos quæso benigni,
(Ni monitis Patris nos intendisse pigebit)
Præmia iam nobis CHRISTVS quàm larga pararit?
Nunc igitur, vos ne pallentes ducat ad umbras,
Sed potius vos excipiat, lætusq; reponat
Sydereos inter proceres, sedesq; beatas,
Praui si qua manent sceleris uestigia vestri,
Omnia nunc lætè quæso detergite: namque
Culpæ præstabit ueniam Deus ipse roganti:
Suppliciter nos ergo preces mittamus ad Aulam:
Est etenim CHRISTI clementia tanta, benignas
Vt facile ipse preces iam nostras audiat aure:
Quare agite, ad cælum palmas tendamus vtrasq;.
Ad te ò magne profundi Opifex cæli ò Pater, ò Rex,
O Rex cælicolûm, magni Patris vna propago,
Longæuæ Rector naturæ, Inuentor, & Auctor;

Humanæ Dux vitæ, tutæ fonsq́ salutis,
(En flebiles mæste gemitus, lacbymasq́ profundens)
Ad te nunc faciles aditus per carmina quæro,
Teq́ uoco, ingentem & clamorem ad sydera iacto.
O Deus, ò sydus clarum, ò lux aurea, lux quæ
Diuino terras, & cælum lumine comples;
Adspice quæso votis, te precibusq́ vocantes:
Adspice tundentes nos pectora tristia palmis:
Discute sydereo iam nubila lumine cordi;
Nostraq́ da mens per speculum te cernere possit.
Pectora splendenti lustra iam lampade nostra,
Vnanimes quondam altisono qui spiritus omnes
Lustrasti à Patre tunc hylari demissus ab ipso
Discipulos, sacrata relligione nitentes.
Confirma dubios, nostros iam dirige gressus,
Lætaliq́ animos iam sanctis frigore pigros
Ignibus excita, & è nostro de corde reuelle
Torporem, nostros umquam neue occupet artus;
Mensq́ calens CHRISTO adsiduè nunc ipsa Tonanti
Perstet, firmam in eo, & spem constituens sibi, terram
Pro nihilo putet, àc terrena mole soluta,
Protinus eois sese latè inferat astris:
Spiritus, heu, fac pandat iter, fac limite monstret
Sydereo, qua nos cælestia iussa sequamur.
Adspice præcipuè o nostræ spes certa salutis
Me venerantem versiculis te, CHRISTE, latinis:
Oranti tu dexter ades Moderator Olympi,

Qui

Qui potes Inferni mihi claudere regna profundi:
Tu me supplicibus uotis, manibusq; supinis
Et precibus castis, tu me nunc adspice quæso,
Adspice mærentem, & lachrymis simul ore rigantem,
Cordeq; crebra cientem iam suspiria ab alto:
Ipse meam fædo maculaui crimine vitam;
Quid facies? cæcis committes me ne tenebris?
En mea turgescunt roranti lumina fletu,
Prorsus & exactæ culpas, & crimina vitæ
Admissa incuso, labes iam rite nephandas;
Atque ignominias animæ nunc deniq; planctu
Diluo, & heu, meritas horret mens conscia pœnas,
CHRISTE meum ipse pati noli euanescere luctum,
Meq; Herebi Inferni tristes habitare tenebras:
Rite meæ semper te tangat cura salutis:
Sic ego, nec furias, nec iam ipsa profunda uidebo
Tartara; sed cœli felix admittar ad oras,
Tu mihi quæ iam sint fugienda, sequendaq; monstra,
Denique, ut ipse tuo feruenti incensus amore,
Displiceat mihi dehinc rebus seruire caducis,
Vt, mea cum tumulus tandem contexerit ossa,
(O Pater en uersu iam tete linquere cogor,
Semper at ipsa libens tecum mens una manebit)
Possit sydereas animus conscendere manes.

F I N I S.

Typographi lapsus corrigendi.

Pagina 4.a.versu.2. proferrere, proferre.
pag 4.a.ver.3. contingat, contingant.
pag.4.a.ver.22. Vnde digressus redeam, Vnde digreßus sum
pag.7.a.ver.21. ipsa uidisset, iam uidisset. *(redeam.*
pag.11.b.ver.14. omnibus obnuite, omnibus abnuite.
pag.12.b.ver.17. Credite, nec illos, Credite, neue illos.
pag.9.b.ver.9. liber ob Inferni, liber ab Inferni.

